



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

XXV. Ad immodestos in oculis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)



## EXHORTATIUNCULA. XXV.

## Ad Immodestos, &amp; Dissolutos in oculis,

## I.

**A**Micissime! Quid sibi frivola curiositas? Hæc quantum obfuit Evæ, Davidi, Samsoni, Holoferni? Sumúsne hīs tutiores? Vel plus quàm homines? Et tamen oculis tam liberi, laxi, & effusi evagamur? Citò! citò claudantur! *Mors enim ascendit per fenestras.*

*Instructio meritoria.*

Sit firmum, & fixum, hodie sæpius tollere ad sidera vultus cum gemitu: *O quàm sordet mihi terra, dum cælum aspicio.* Et ut in virili modestia, ac gravitate crescat, ter coram Crucifixo fleat, & clausis penitus oculis, ac inclinató capite oret in honorem ꝯ. sensuum Christi Jesu *quinque Pater, & Ave.* Oculum pro oculo! Modestum pro modestissimo.

## II.

**C**harissime! cur volumus videre, quod non licet habere? Cur vana, ridicula, curiosa, & noxia, quæ cor non fatiant: sed turbant; non recreant, sed inquietant. Latet intus, quod intueamur, & intuendò delectemur, videlicet bona conscientia, virtutibus, & meritís plena. Hæc in eo perit, qui oculum non custodit. Cavete! Claudite!

*Instructio meritoria.*

Modestia, & verecundia vestra sit nota omnibus hominibus. Hæc maximus decor est in



religionibus. *Sine verecundia*, ait Tullius, *nihil rectum esse potest, nihil honestum*. Non sumus proin familiares fœminis! Has fugasse, est cœlum expugnâsse. Sanctum odium ut erga hunc sexum nutriamus, *quinque Ave* in honorem Immaculatæ Virginis Mariæ statim, quando surgimus, à manè persolvamus. Novisse Mariam, & hanc unicam, pertinet ad perfectam animam.

## III.

**A**Mice! Damnabilis curiositas est, intendere aliorum vitiis. Rogo: Nobis ipsis attendamus! Quid enim videmus festucam in oculo fratris, & trabem in nostro non attendimus. Quæ hæc hypocrisis, & Pharisæorum impietas? Non in proximos, sed in terram oculi defigantur adeò temerarii, ut suam cognoscant miseriam. De terra sumus; & brevî revertemur illic. Ad quid tam elata in alios supercilia?

*Instructio meritoria.*

Malo tam infelici ut seriò remedeamur, ad omnia, quibus fortè tentabimur hodiè, judicia frivola nos ipsos generosè increpemus illud Christi Domini opponendò: *Quid ad te? Tu me sequere*. Et quia judicandò alios frequenter deliquimus, diluamus opera totius diei hodiernæ donandò illis, quos aut verbò, aut cogitatione, aut ipsò factò contristavimus, & offendimus. Pro confirmatione pietatis addamus Lytanas de omnibus Sanctis. Amicos, & Advocatos invenit, qui Sanctos colit.

EX-